



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-577535-p0001-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-577535-p0002-2

DFG

1636, i 8  
~~A~~  
EXERCITIUM JURL  
DICUM  
De  
ANTICHIRESI.

Quod

D. O. M. A.

Autoritate & consensu Magnifici & Am.  
plissimi JCtorum ordinis in almâ  
Academâ Viadrinâ

Sub PRÆSIDIO

Excellentissimi, Consultissimi & Cla-  
riſſimi Viri

DN. CHRISTIANI CARPZOVI  
J. U. D. PROFESS. PUBL. ET p. t.

Facultatis Juridicæ DECANI

SPECTATISSIMI,  
placidæ disquisitioni publicè  
proponit

CHRISTOPHORUS STAUDE  
Gorlicensis Lusatus

Ad d. 16. Julij, horis matutinis,

In

Auditorio JCtorum.

---

Excusum typis MICHAELIS KOCHI  
Anno 1636.

Fr. D. Joh. Hrigio. 15.



VIRIS  
Nobilissimis, Amplissi-  
mis, Consultissimis & Pru-  
dentissimis

DNN. CONSULIBUS ET  
SENATORIBUS INCLYTÆ,  
quæ est GORLIC*I*,  
REIPUBL. DIGNIS-  
SIMIS,

Dominis Patronis & Promotoribus suis  
In omni observantia cultu pro-  
sequendis,

Eugenius hanc

Offert dicatq;

CHRISTOPHORUS STAUDZ  
Autor & Resp.

AUSPICE CHRISTO;  
Sine cuius fundamento nullum boni operis su-  
peraedificium existere potest. c. cum Pau-  
lus I. quest. I.

PROOEMIUM.

**A**PPELEM VITIO DEDISSE PROTOGENI, QUOD PICTOR NIMIS CUVI  
OSUS MANUM DE TABULA TOLLERE NESCIRET, LITERIS PRODI-  
TUM ACCEPIMUS. CONSIMILIS FERÈ DILIGENTIAE AFFECTATI-  
ONE EGOMET MIHI LABORARE VIDEO: QUI ANTICHRESCOS  
CONSIDERATIONI & QUO CURIOSIUS INSISTO, EJUSQ; NATURAM PUBLI-  
CITUS VENILANDAM PROPONO; CUM MEDITATIONES PRIVATAE AD ID,  
QUOD SCIRE COLLIBITUM FUERAT, JAM DUDUM SUFFECERINT. VERUM  
ENIMVERÒ SI QUARUNDAM RERUM INITIA (TESTE SENECÀ LIB. I. DE IRA  
& 7.) IN NOSTRA POTESTATE SUNT; ULTERIORA NOS SUÂ VI RAPIUNT,  
REC REGRESSUM RELINQUUNT: MIRUM NON EST, QUOD ME ANTI-  
CHRESIS PACTUM, VOLENTE PRIMÙM QUÂDAM OCCASIONE, AD ANI-  
MUM PENSIKULATIUS REVOCARE PROCLIVIS DESCENDI AFFECTUS INDU-  
XERIT, JUFFERIT, COËGERIT. MAXIME VERÒ, QUIA JCCTUS POMPONI-  
US I. 20. D. DE FIDEICOMM. LIBERT. DESCENDI CUPIDITATEM SOLAM VI-  
VENDI RATIONEM OPTIMAM RECTÈ VOCAT: MEO ANIMO NON POTUI  
NON PLUSCULUM INDULGERE. AC LICET ANDR. RAUCHB. PART. I.  
QUEST. 20. N. II. ASFERAT: IN HAC CONTROVERSIA ABSQ; IMPERIALI VEL  
PRINCIPALI DECISIONE NIL CERTI STATUENDUM ESSE: QUIA TAMEN &  
ISTA MATERIA LEGIBUS NON EST INCOGNITA; BREVITER DELIBABI-  
MUS, QUID JUXTÀ ANALOGIAM COMMUNIUM JURIS TERMINORUM  
DE ANTICHRESI SENTIENDUM SIT. ITAQ; NON EXQUISITUM COM-  
MENTARIUM, SED TENUEM MATERIAE VENILANDÆ INDICEM EXHI-  
BITURI, PONIMUS.

THESSIN I.

ANTICHERES, QUASI DICAS CONTRA FRUITIO (a) EST PACTIO  
BONÆ FIDEI (b) PIGNORATITIA (c), QUÂ CREDITORI DEBTOR

A 2

utendi

utendi fruendi pignoris facultatem in usurarum vicem  
(d) concedit.

(a) Descriptioni veræ & reali Nominis notatio præmittenda est. Quia enim verba sunt rerum notæ l. 7. §. 2. ff. de supell. legat. nominis significatio prius constare debet. l. 1. ff. de reb. cred: Hinc ad subjectam materiam verba formari & intelligi debent. gl. ad l. si uno ff. locati. Antichresis autem vox Græca, idem sonat, quod contrà fruitio: quia, si cuti creditor eâ pecuniâ fruitur, quæ fuit creditoris, ita vicissim creditor eo pignore, quod est debitoris. Anton. Fab. de error. pragmas. dec. 9. error. 7. circa fin.

(b) Bonæ fidei dico esse antichresin: quia pignori accedit; qui est contractus bonæ fidei. Pacta enim etiam si per se sint stricti Juris. gl. in l. 7. §. quinimò ff. de pact. si tamen bonæ fidei contractibus apponantur, eorum induunt naturam: l. ab emptione 59. ff. de pact. quod accessorium sequatur naturam sui principalis. c. accessorium. 42. de R. J. in 6.

(c) Refertur ἀντίχειν ad pignora, adeò ut per synecdochē pignus dicatur in l. 33. ff. de pignorat. act. Uude etiam Pactio pignoratitia proximum antichresis genus est. Pignus enim diem, conditionem recipit & pactiones. Treutl. vol. 2. disp. 1. §. 6. Rectè igitur Rittersb. ad §. ult. Inst. quib. mod. re contrab. obl. Et ad l. 23. c. 8. p. iii. de R. J. notat errorem Oldendorpij, qui antichresin putat esse contradictionum judicium sive missionem in possessionem, quæ sit cum condicione cl. 3. act. 10. affin. remed. 2.

(d) Ideoq; quia Antichresis loco usurarum datur, usurariam sapere pravitatem non debet. Gail. observ. 3. lib. 2. n. 2. nec debet excedere legitimum finem & modum usurarum. l. 1. §. pen. ff. de pignor. Convenio enim, quæ in fraudem legis est, nullius est momenti. l. 27. ff. de R. J. Non tantum verò illud est contrà leges, quod expressè prohibitum est, verum etiam quando in fraudem legis, salvis verbis ejus sententia circumvenitur l. 29. ff. de LL. Et paria sunt aliquid facere contrà legem vel ultrà legem. l. 1. §. fin. ff. de loco publ. fruend. Per se, inquam, Antichresis legitimū usurarū modum excedere non debet: licet ratione incerti fructuum proventus secus se res habeat. l. 17. C. de usur. Et incerta etiam est ac varia fructuum aestimatio Rittersbus. ad §. si quis agens. vers. Re. Inst. de action. Quæ incertitudo facit, ut non videatur amplius capi, quam efficit legitima usura; quia etiam minor proventus esse potuit;

potuit, cum quo incommode compensatus commodum alterius temporis. *Donell.* add. l. 17. C. de usur. n. 4. *Anton.* Fab. de error. pragm. dec. 9. err. 5. Itaq; si creditor velit fructum pignoris sibi certum facere & ad eum modum redigere, quem fore suprà justum modum usurarum extrà dubium sit: eo casu Antichresis illicita erit. *Anton.* Fab. d. loco non procul à fin. Atq; ideo & Antichresis, quatenus usurariam sapit pravitatem, juramento confirmari nequit. tum quia juramentum accedens contractui, qui ipso jure nullus est, non valet. l. 5. C. de LL. l. 112. §. fin. ff. de legat. i. tūm quia naturalis turpitudo & peccati suspicio, quæ ex malis moribus oritur, vim ejus etiam de Jure Can. sistit. c. quamvis. de paci. in 6. t. non est obligatorium. de R. f. in 6. Porrò in territorio Electoris Saxonici, referente *D. Benedicto Carpzovio* in prax. crimin. part. 2. q. 92. n. 72. omnino fructuum perceptionem commodum quincuncium usurarum excedere prohibet *Constit. Torgens.* D. Augusti Electoris Sax. de Anno 1583. tie. *Bon Wucher/ Wucherlichen contradic.* §. Als haben wir. in verb. vñnd derowegen da einem. Et c. Ipse verò d. Constit. præcisè inteligit de emolumento percepto ex hortis & pratis alijsque fundis, unde absq; omni ferè culturâ & labore fructus certi proveniunt. In agris, quorum redditus difficulter suppeditari possunt, propter laborem & impensam fructus admittit liberiores. Quæ distinctio, si cum d. Constit. convenit, suum obtineat locum. Nos de Jure Civ. jam solliciti sumus.

### II.

Nititur autem Antichresis potissimum Jure Civili (a): quanquam Laici Jure Canon. (b) Antichresin contrahere non prohiberi videantur.

(a) In Jure Civ. aliquot in locis avñzgenis permittitur, veluti in l. 33. ff. de pign. act. l. 11 §. 1. ff. de pignor. l. 6. C. quod cum eo qui in alien. pot. modò non sapiat usurariam pravitatem: cum id, quod unā viā prohibetur, aliā viā non debeat esse permisum. l. 3. §. liberi. 10 ff. de bonor. poss. conir. tab. C. cum quid 39. Et sibi *Dynus* de R. f. in 6. Nam quælibet machinationes creditorum prohibitas usuras captantium, resecari jubentur ab Imp. in l. 26. in fin. C. de Usur. & id, quod ultramodum acceptum fuerit, restituī debet, aut in sortem imputari d. l. 26. §. 1. v. si quis. C. de Usur. l. solutum. II. §. 3. ff. de pignor. act. l. 26. pr. ff. de condic. indeb. l. 102. §. ult. ff. de solut. Itaq; ut sustentetur Antichresis:

adhibenda ea erit limitatio, de quâ. *preceden.* *lit. d.* monuit.

(b) Jure Can. Antichresis prohibita videtur. c. *ad nostrā* 7. X. *de jure iur.* c. 1. c. 8. X. *de Usur.* Veruntamen, quia isti textus omnes tantum de Clericorum personis loquuntur, quibus etiam antichresin interdicunt: dicendum videtur in Laicis manere dispositionem Juris Civilis. *Rittersbus.* in differ. *Jur. Civ.* & *Can. lib. 3. c. 7.* Nam cum correctio non inducatur, nisi quatenus in jure expressè reperiatur Nov. 2. c. 3. ibi. Nec qualibet est lex aliquid tale dicens &c. Et legum correctio omnino vitanda sit l. 32. §. fin. C. *de appellation.* meritò etiam intrà Clericorum & Monachorum personas Antichresecos prohibitio à Jure Canon. facta consistere debet. Ratio autem, cur Clericis Antichresis interdicta sit, ea videtur: quod ipsis prohibitum sit per Concilium Nicænum sumere usuras c. 1. & seqq. caus. 14. q. 4. Quocircà à quo removetur principale, removetur & omne ejus accessorium. l. 178. ff. *de R. f.* Unus tamen singularis casus est, Juris Canonici, in c. 16. X. *de Usur.* ubi gener, qui à socero pro dote pignori accepit prædia quædam, non cogitur fructus perceptos in sortem imputare sed lucratur. *Rittersb. d. c. 7. in fin.* De hoc etiam casu videatur *Anton. Negusant.* latè differens de pignor. part. 5. membr. 5. n. 16. & seq. Alterum addit *Speckbancen.* 3. cl. 1. n. 3 qui talis est: Si Vasallus vel beneficiarius fundum quem jure feudi possidet, domino feudi pignoraverit eâ lege, ut fructus non imputaret in sortem c. 1. X. *de feud.* c. 8. X. *de Usur.* Quæ conventio nulla alia est quam Antichresis: cui hæc lex tacitè inest, ut fructibus contentus sit dominus, idemq; creditor: & vasallus debitor interea immunis sit à servitijs præstandis, quæ ratione feudi debet. Jure quoq; Consuetudinario pactiones antichresis passim recipiuntur. *Ern. Cotbm. vol. 2. respons. 57. n. 18.* Quia verò statuta regulariter interpretationem & declarationem passivam recipiunt à Jure Communi l. 2. ubi *Bald. n. 1. C de noxal. act. c. cum dilectus. 8. §. quia nobis.* ibi *Panorm. n. 21. X. de consuet.* antichresin quoq; formari à Jure statuario permittit Justinianus in §. 33. vers. sed & petunie numerata. *Inst. de action.*

### III.

Dividitur Antichresis in expressam & tacitam,  
Antichresis expressa est, cum de Usufructu pignoris in  
vicem usurarum expressè inter creditorem & debito-  
rem,

rem convēntum est. (a) Tacita verò est, cum debitore utente fruente pecuniā sine usuris, creditor utitur frui- tur pignore sine expressā pactione ad legitimas u- suras (b).

(a) Videantur ea, quæ notata sunt ad i. thes in sub lit. d.

(b) De hac tacitā antichresi intelligenda est l. 8. ff. in quib. causis pign. vel hypoth. tac. contrah. & l. 2. C. de pars u pignor.. Etsi verò Hotomannus lib. 1. observ. 4. & in comm. ad rit. ff. delluris contendit, nullam esse antichresin tacitam: & propterea immutat lectionem d. l. 8. quando verbis illis, Cum debitor gratuita pecunia utatur, negationem ad- dit: satis superq; tamen refellitur ab *Antonio Fabro* in tract. de error. pragm. dec. 9. err. 5. ubi cum *Cujacio* lib. 8. observ. c. 17. tacitam Antichresin tuetur. Nam gratuita pecunia non illa tantum dicitur, de qua convenit, ut gratuita esset, sed illa etiam, de qua non convenit ut sit sub usuris: licet debitor quasi ad *avtidiwgo* obligatus, pignus tradendo ta- citè consentiat, nt invicem usurarum creditor fructus percipiat. *Anton. Fab. d. loc.* Sic contractus gratuitus honorarium non excludit. l. 1. ff. si mensor fals. mod. dix. l. 38. §. 1. ff. locati. Et certum est, contractus etiā notissimos suos terminos quandoq; excedunt, tamen proptereà totalem suam naturam non deponere. l. *Lucius* 24. ff. depos. Differt autē Anti- chresis tacita ab expressa: quod illa servet legitimū modūm usurarum, hæc non item. Et ratio diversitatis est: quod creditor, qui ex de- bitoris voluntate & conventione expressa, fructus sibi percipit, jus ha- beat quæsīcum sibi ex proprio contractu: adeò; ut siue pluris sint fru- ctus, siue minoris, quām legitimæ usuræ, omnino illis fructibus credi- tor acquiscere cogatur, nec habeat, quod adverso debitorem conqueri possit. Sed si Antichresin nulla præcedit conventio, quæ contractui le- gē dare possit, l. 1. §. 6. ff. depositi: & creditor accepit pignus in securitatē pecuniæ sine expressione usurarum debitori datae: ne imprudenti cre- ditori officium suum existat damnum l. 7. ff. testam. quem. aper. cum sufficiat in paucis (veluti promptâ numeratione pecuniæ) amico con- fulti l. 20. C. de negot. gest. dicta l. 8. ff. in quibus causis pign. vel hypoth. tac. contr.. creditori adjudicat remunerationis loco pignoris fructus, quos ad modum legitimarum usurarum æstimari & computari jubet; ut leges legibus concordent l. un. C. de inoff. dolib. Ubi enim homo non provi-

providet, lex supplet: quemadmodum contrâ provisio hominis facit cessare provisionem legis. arg l. fin. C. de pact. convent. Atq; hoc casu tenetur creditor tâm de perceptis fructibus quâm percipiendis; non tamen quanti plurimi, sed admodum doli, culpæ latæ & levis; quæ pignoris proprietas est. §. fin. Insti. qb. mod. re contrab. oblig. l. 23. ff. de R. f. Nisi creditor toto debito accepto vel compensato injustè denegaret restitutionem fundi, & esset in vera mora; ubi sanè posset teneri quanti plurimi l. pen. ff. de condic. trit. l. 3. §. nle. ff. de act. empti. Quod si creditor planè non consumperit fructus rei pignoratæ: eatenus sunt tacitè obligati in causa, in qua est ipsa res, ex qua percepti sunt. l. 3. C. in quibus caus. pign. tac. contrab. Anton. Negusant. de pignor. part. 5. membros. num. II. Ac debitor quidem tacitam suam voluntatem in id accommodo dâsse creditur: cum si alio erat animo protestari debuerat, nolle se ex pignoris sui fructibus quicquam sibi decidere, teste Anton. Fabro d. loc. Nam paria sunt consentire, & non contradicere, in eo qui contradicendo id, quod agitur impedire potest. l. 5. ff. de adopt. l. 1. §. 3 ff. de tribut. act. l. 16. ff. de SCro Macedon. l. 13. §. fin. ff. locati l. 4. §. 3 ff. de fidejussor. & nominator. Sed quid si ob Antichresecos tacitæ sterilitatem fructus isti longè minores sint legitimis usuris? Sanè censeo, quod creditor ijs contentus esse cogatur. Usuras non potest petere, de quibus nihil conventum est. Nam usuræ duntaxat vel ex conventione vel ex mora debentur. l. 3. l. 4. C. de Usur. l. 2. C. de pos. l. 17. C. de locat. cond. Imputet igitur creditor sibi, facilitati, & negligentia suæ; quod diligenti cautione de usuris sibi non melius prospexerit. Neq; etiam de pignore ultrâ fructus quicquam poterit lucrari. Nam pignus solutum obligationis nexus restituendum est. l. II. C. de pignor. act. Jam verò res non dicitur reddita, quæ deterior reddita est l. 3. §. 1. l. 18. §. 1. ff. commod. l. 1. §. 16. ff. depos. l. 9. §. 3. ff. ad exhibend. l. 13. §. 1. ff. de V. S. Et dânum à creditore in re pignorata datum, in rationem debiti venit, & sortem extenuat l. 7. C. de pignor. act. Ad hæc expressè dicit d. l. 8. ff. in quib. causis pign. vel hypoth. tac. contrab. quod gratuitâ pecunia utatur debitor. Quod si gratuitâ pecunia est: debtor saltem tenetur ad avtigwægv, ut paulò ante dictum est: unde naturalis tantum obligatio nascitur l. 25. §. 11. ff. de hered. per. Naturalis autem obligatio efficax non est, ut actionem civilem producere queat l. 127. ff. de V.O. l. 10. ff. de V. S. Non igitur video, quomodo creditori jura tacitæ antichresecos

tichreos habenci ultra pignoris fructus ( quamvis ad legitimas usuras  
non sufficerint ) subveniri possit.

#### IV.

#### Forma contrahendæ antichreos consistit, in conventione (a) & traditione. (b)

(a) Conventione seu pacto constituitur Antichresis per l. 14. C. de  
Usur. Cujac. in novell. 32. Rittersbus. in method. Nov. expos. part. I. c. 8.  
n. 64.

(b) Solo pacto Antichresis non constituitur Donell. ad l. 17. C. de  
Usur. n. 4. Nisi enim pactum Antichreos traditio ( quâ pacta muni-  
untur, ut ad agendum prosint l. 48. ff. de pact. ) consequatur: obtine-  
bit regula, quod ex nudo pacto actio non detur. l. 7. §. 4. ff. de pact.  
Deinde etiam ad sustinendam antichreos essentiam traditio accedat  
necesse est. Antichresis enim est in pignore. Atqui pignus propriè  
loquendo ( unde etiam differt hypotheca à pignore, quod illa conven-  
tione solâ perficiatur l. 1. ff. de pignor. act. l. 9. §. 2. ff. d. tit. Nam quod  
ait l. §. 1. ff. de pignor. inter pignus & hypothecam tantum nominis  
sonum differre; illud vult, ut inscriptio d. l. 5. arguit, nihil pignus &  
hypothecam differre, quod ad formulam & potestatem actionis hypo-  
thecariæ attinet ) sine traditione esse non potest per. d. l. 9. §. 2. l. 35. §. 1.  
ff. de pignor. act. l. 36. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 16. ff. de Usucap. Sed  
cum omnis traditio præsupponat aliquam justam causam, ex qua ipsa  
fiat l. 3. princ. ff. de Usufruct. l. 31. ff. de acquir. rer. domin. ideoq; ipsa ex  
conventione, quæ præcessit, vim suam obtinere intelligitur.

#### V.

#### Dari possunt in Antichresin, quæ non prohiben- tur.

Inquirere hic libet & apponere nonnulla exempla, quæ in Anti-  
chresin dari vel possint vel nequeant. Cætera quæ sunt cum reliquis cō-  
tractibus communia, & non tam in specie ad Antichresin, quām in gene-  
re ad alienationes spectant, missa faciemus.

1. Ecclesia Jure Justinianeo ob tributa fiscalia exolvenda aut aliam  
necessitatem non prohibetur prædia sua per Antichresin obligare, eo

B

tamen

tamen modo, qui usuras restringat. Nov. 120. c. 4. aub. hoc jus. C. de SS. Eccles. vide Rittersbusum in Method. Nov. exp. part. I. c. ult. num. 68.

2. Sed Agricola agros suos dare in Antichresin prohibetur: per Nov. 32. c. I. ibi, terram penes se detinere. Cujac ad d. Nov. 32. Rittersb. d. tract. p. 3. c. 10. n. 21. Ratio hæc assignatur, quod Antichresis intercludat agriculturâ colonos multis præditâ privilegijs; quorum nonnulla in l. 7. & aub. agricultores. C. quare respignori oblig. poss. vel non expressa sunt. 3. An Res pupillates vel minorū in Antichresin dare tutores vel curatores possint, quæritur? Resp. Etiamsi Antichresis est alienationis species tam ratione rei pignoratæ (Alienatio enim est dominij vel possessionis vel juris in alium translatio Cujac. in par. C. de alien. jud. mut. causa) quam ratione fructuum, qui in creditorem transferuntur: tamen quia non est alienatio, quæ omne rei dominium transfert, pupillo si tutoris autoritas cum decreto judicis l. 22. C. de adm. tut. accederit, interdicta esse non potest. l. 4. C. de præd. min. Sed an ipse tutor rem pupilli in Antichresin accipere possit? Quod assicerere non dubito; si modò id fiat juxta l. 5. ff. de autor. tut. l. 5. C. de contr. empt. 4. Vassallus inscio domino feudi antichresin contrahens feudum amittit. Certi enim juris est, feudo sine licentia oppignerato & alienato feudum amitti & Domino aperiri. c. i. de probib. alienat. feud. per Frider. II. 55. 5. Servitutes prædiales in Antichresin dari non possunt, cum oppignerari nequeant aut locari l. 44. ff. locati. Nam servitutes sunt adjuncta suorum prædiorum. §. 3. Instit. de servit. rustic. præd. arg. l. 23. §. 2. l. 34. ff. de servit. rustic. quæ sine subjecto suo non consistunt, nec oppignerari queunt. 6. Quod ad Servitutes personales attinet, expeditum quidem est de Usufructu, eum & oppignerari & vendi posse l. 11. §. 2. ff. de pignorib. l. 12. §. 2. ff. de Usufruct. Unde etiam dicendum videtur: eum in Antichresin quoq; dari posse. Modò ea adhibeatur cautela, quod ususfructus in actu constitutus, si alienetur ab Usufructuario ipso moriente etiam in tertij possessoris persona cum morte veri usufructuarij expiret l. 8. §. fin ff. de pericul. & commod. rei vend. Quod si verò tantum debeatur ususfructus: tunc si alienetur ab eo, cui debetur ususfructus, in accipientis demum morte possit finiri. l. 4. de novat. Quia cum in accipientis persona sumat initium: meritò etiam ex ejus persona finitur. arg. l. 11. ff. de servitut. Aliter se res habet cum usu & habitacione, cum alij concedinequeant. l. 8. pr. ff. de usu & habit.

Effectus

VI.

Effectus Antichresecos cum pignore conventiona-  
licoincidit: præterquam quod fructus loco usurarum  
creditor lucretur. (a) Actiones etiam gignit ultrò ci-  
tròq; competentes. (b)

(a) Propterea etiam istorum fructuum damnum post perceptionem  
enatum in colonum istum Antichreticum redundat: cum unaquæque  
res pereat suo domino. §. 3. Inst. de empl. & vendit. l. 19. C. de pignor. act.  
Et ita nuperimè in Facultate Juridica, hujus nostræ Academiæ Odera-  
næ, pronunciatum fuit, Mense & Anno præsente. Aliter dicendum  
videtur de fructibus nondum perceptis, sed adhuc pendentibus, & in-  
herba existentibus: quia cum sint pars fundi l. 44. ff. de R. V. l. 61. §. 8.  
ff. de furt. & proprietas fundi ad verum dominum spectet: meritò etiam  
domini damnum erit. Gail. lib. 2. observ. 23. n. 12.

(b) Pactum Antichresecos quia inest pignori, qui est contractus bo-  
niae fidei, §. 28. Inst. de action. parit actionem. l. 13. C. de pact. Nam pa-  
cta stricti juris contractibus non insunt ex parte actoris, ut actionem pa-  
riant, arg. d. l. 13. quia unius inclusio est alterius exclusio. arg. l. 12. princ.  
Q. de judic. & quia extensioni non est locus in stricti juris contractibus;  
in quibus pro omisso habetur, quicquid verbis non est expressum, l. 99.  
ff. de V. O. Cujac. in l. 7. ad verba. in bona fidei judiciis. ff. de pact. & lib.  
10. observ. 24. Donell. ad d. l. 13. num. 12. Treutler. vol. 1. disput. 6. q. 10.  
lit. b. nisi forte stipulatione comprehensa sint. d. l. 27. C. de pact. We-  
senb. in ὥ. ff. de pact. n. 9. Ad Antichresin igitur ut redeamus, parit illa a-  
ctionem tūm pignoratitiam, l. 33. ff. de pign. act. ubi quidem de debito-  
re lex loquitur: sed idem etiam tentari posse de creditore monet Cujac.  
lib. 3. observ. c. 35. in fin. tūm actionem in factum l. 11. §. 1. ff. de pignor.  
(quæ quidem aliàs actionem aliam non excludit, quò minus simul com-  
petat l. 2. C. de pact. inter emptor. & vendor. l. 50. ff. de contrab. empt.  
l. 6. ff. de rescind. vend. Facbin. 2. controversial. cap. 98.) nimirūm quia An-  
tichresis propriè, teste Cujac. d. loc. hypotheca non est. Atque hæc in-  
factum actio non datur ex Jure conventionis, sed quia traditione &  
præstatione ejus, de quo conventum est, creditor debitorem sibi obliga-  
vit. l. 7. §. 2. de pact. l. 5. ff. de prescript. verb.

B 2

Contra-

## VII.

Contrariantur Antichresitum ea, quae ipsius essentiæ repugnant (a) tunc quæ ipsam contractam dissolvunt. (b)

(a) Veluti Usuraria pravitas, de qua b. 2. lit. a. dictum. 2. Personæ Clerici, agricultoræ. 3. Et generaliter, quia omnia facta quæ lèdunt pietatem & bonos mores l. 15. ff. de constitutione. instit. aut sacratissimas leges l. s. C. de LL. irrita & casta esse debent: ea, inquam, etiam generaliter pactio Antichresis officiunt. 4. His addi solet perpetuitas temporis: quod Antichresis nequeat consistere, si convenerit, ut pignus in Antichresi datum distrahi à creditore nunquam possit, donec à debitore redimatur. Carol. Molin. in tr. de commercio. Usur. q. 35. n. 259 & seq. Sed hæc opinio solidè refutatur ab Anton. Fabro in error. pragm. decad. 9. error. 7. Quod si enim pacisci creditor liberaliter & gratuitò potest de pecunia nunquam petenda. l. 10. ff. de transact. quidni etiam pacisci poterit de pecunia certo tantum casu nunquam petenda: nisi quis velit prohibere, ne creditor rei suæ legem dicere possit contrà l. 21. C. mand. Præterea dicimus creditorem, qui pactus est de Usuris ad certum tempus sibi solvendis, pactum quoq; fuisse intelligi de sorte interim non petenda. l. 57. pr. ff. de paci. Cur non igitur eadem interpretatio capietur, si non de Usuris, sed de fructibus, pignoris in vicem usurarum percipiendis convenerit? vid. Faber. d. loco. Neque etiam metuendum est, ut restriginta annos in Antichresi permanens praescribi possit: cum nihilominus redimi possit post tantum spatium. Nam creditor, qui pignus accepit, pro alieno possidet l. 13 ff. de Usucap. adeò, ut etiam ista creditoris possessio debitori proficiat ad Usucaptionem l. 30. ff. de adquir. vel amitt. poss. l. 16. ff. de Usucaption. l. 35. §. 1 ff. de pignor. act. Non igitur creditor rem pignoratam possidet bonâ fide, sine qua praescriptio procedere nequit. pr. Instit. de Usucap. l. 2 l. 6. l. 9. C. de prescript. long. temp. Neque etiam creditor possessionis causam ipse sibi sine aliquo novo facto mutare potest. l. 3. §. 19. l. 19. §. 1 ff. de adquir. vel amitt. poss. Præterea si ea quæ sunt mera facultatis nullius temporis praescriptione amitti possunt l. 2. ff. de via publ. & itin. publ. refic.: praescribi non potest jus luendi pignoris: quod est mera quedam facultas in arbitrio debitoris posita; quâ debitor quandocumq; vult uti potest, quæq; dominis jure competit, non

et, non verò respectu alicujus obligationis. Proinde sequitur credito-  
rem pignus non præscribere, nec debitorem, quò minus soluto debito  
pignus suum recipiat ullà temporis præscriptione repellere posse l. 2. l. 7.  
§. fin. C. de prescript. 30. vel 40. annor. Vid. Gufac. in par. C. de prescript.  
30. vel 40. annor. Boreb. de Usur. c. 6. n. 10. & seqq. Treutler. 2. disp. 1. 8.  
fin. ltr. b. & 2. disp. 22. 8. 3. ltr. i. Mynsing. 1. obs. 16. Gail. 2. obs. 18.

(b) Quandoquidem nihil tam naturale est, quam eo genere quic-  
quid dissolvi, quo colligatum est l. 35. l. 100. l. 153. ff. de R. f. ideoque  
& Antichresis tanquam contractus pignoratitius dissolvitur, si mutuo  
consensu distrahatur. Quod inelegit fieri. 1. Si debiti summa cre-  
ditori exolvatur. l. 49. ff. de solut. Per solutionē a. generaliter intelligo o-  
mnem actū, quo debitor ab obligatione, quā devinctus est, creditori li-  
beratur l. 4. ff. qui potior. in pign. bab. l. 176. ff. de V. S. Zanger. de except.  
p. 3. c. 1. n. 16. 2. Solvit abusu Antichresis; ut & aliud quodvis jus  
abutendo vel male utendo perditur, ut quod possessor vel detentor in re  
aliena habet. Nam sic v. g. fructuarius re in usumfructū datā pernicio-  
sè utens usumfructum perdit. l. 9. §. fin. ff. de damn. infect. Paul Castrenz.  
in auct. qui rem. n. 3. C. de SS. Eccles. Jason. 16. n. 4. & 6. Natta confit.  
477. n. 7. & seqq. Carol. Molinaus in consuetud. Paris. tit. 1. gl. 1. num. 3.  
Arius Pinellus de bon. matern. l. 1. part. 2. n. 60. Idem ergo in creditore  
dicendum est, quando eadem est ratio, l. 32. ff. ad L. Aquil. Nam Juris  
potestate ea lex & conditio inest, ut fideliter & boni viri arbitratu acci-  
piens utatur fruatur. l. 13. pr. ff. de Uſufruct. l. 1. pr. ff. de Uſufruct. quem  
admod. eav. Et hæc extrā omnem controversiam posita sunt, si tria con-  
currant, puta, 1. si deterioratio evidens, enormis, & notabilis sit. 2. si  
deterioratio in re ipsa facta sit vel fiat. 3. si deterioratio vel dolo vel la-  
ta vel etiam levi culpa fructuarij & creditoris similiūm in re aliena  
jus habentiū procedat & contingat: ut egregie explicat Bald. in d. auct.  
quirem. & sequitur Jason ibid. n. 7. & in l. 2. n. 98. C. de Jure Empy-  
teut. 3. Solvi Antichresin oblatione sola volunt Dd. communiter  
D. Georg. Schulz in tr. de Oblat. & Obsign. c. 6. n. 17. Sed quia com-  
muni Interpp. opinioni tūm demum inhærendum est, quando justā ra-  
tione ac fundamento nititur. c. ergo dist. 9. nos, quia legi. ex pradijs. 11.  
C. de Uſur. satis tutò ipsorum sententiam inniti non posse videmus:  
statuendum arbitramur; antichresin oblatione debiti non finiri; nisi  
& consignatio & depositio accesserit. Nam pignus (cujus species an-  
tichresis

eichresis est l. 33. D. de pignor. act. ) sola oblatione sortis non tollitur,  
sed ita demum, si ad oblationem accesserit obsignatio & depositio pecu-  
niæ l. 20. C. de pignor. l. 2. C. debitorem vendit. pignor. imped. non posse.  
l. fin. C. de luit. pignor. l. 8. C. de distract. pign. Manente igitur pignore,  
etiam jus percipiendi fructus manebit. Donell. ad l. 17. n. 4. C. de Usur.  
Adde, quod nuda oblatio cursum usurarum non interpellet per l. 6. C.  
de Usur. ubi ut usuræ non amplius currant expressè requiritur obsigna-  
tio & depositio pecuniae debitate l. 19. C. eod. l. 28. §. 1. ff. de admin. tut.  
l. 1. §. fin. l. 7. l. 41. §. 1. ff. de Usur. neq; etiam regulariter inducat libe-  
rationem d. l. 6. l. 19. C. de Usur. l. 9. C. de solut. quæ necessaria est ut  
perimatur Antichresis. l. 11. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.

### COROLLARIA.

- I. Q. An bonæ fidei possessor fructus consumptos tam  
naturales quam industriales indistinctè faciat  
suos? Aff.
- II. An malæ fidei possessor impensas necessarias in  
rem possessam à se factas deducere possit, queri-  
tur? Aff.
- III. An utiles porro impensas malæ fidei possessor tolle-  
re possit? Aff. si id sine laſione fiat.
- IV. An unicâ interpellatione debitor in morâ con-  
stituatur? Aff.
- V. An jure sive divino sive Canonico sive Civili  
usuræ indistincte omnes sint prohibita? N.

20 (?) 2

Elegantis

Elegantis ingenij & doctrinæ  
Juveni

# DN. CHRISTOPHORO STAUDIO

Procontroverso ἀντιχείρεως pacto  
publicè disputaturo.

**N**aturam fruticum retinent ceu germen, & humor  
A radice venit, qui viret in foliis:  
Sic mores abierte in te cum semine Patris,  
CHRISTOPHORE, Aonij gloria magna chori.  
Ille erat Auditor primis meus impiger annis,  
In studia incumbens nocte dieq bona.  
Tu quoq idem facis: & progressus juris in arte  
Non metuis cunctis nunc aperire tuos.  
Pergeita: sic fueris Patri Clarissimo honori:  
Splendori Patriæ, præsidioq reis.

M. Christophorus Neander  
P. P. & Facultatis Philoso-  
phicæ Senior, & p. t. Dev-  
canus scribb.

## E I D E M.

**T**Empus usurâ vetitâ quod ipsum,  
Lurco taxillis paterisq; perdit,  
Turpis aut quod Murcia sæpè fallit  
Stramine molli,  
Omne Tu, S T A U D I, id Themidi, Colende,  
Dedicas: ast quam sapiente mente!

Nam.

Nam Talenti Usura detur necesse.  
Judice Jovâ, est.

Indolis, vitæ, sua poscet Idem  
Summus orbis Fœnora Rector amplius.  
Ergo pergas! sed properando pergis  
Pectore toto.

Monstrat Antichrisis opus sat aptum,  
Hoc tuum: Sic scandere ad Astra clara.  
Accidet; sic nunc voyeo ore, corde  
Optime STA UDI,

*His pauculis*

Egregium ingenij specimen V  
gratabatur

M. Gottlieb Pelargus  
El. P. P.





SC

V817





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres  
Inches

XERCITIUM JURI  
DICUM  
De  
**TICHR ESI.**  
QUOD  
D. O. M. A.  
ritate & consensu Magnifici & Am.  
llissimi JCtorum ordinis in almâ  
Academâ Viadrinâ  
SUB PRÆSIDIO  
ellentissimi, Consultissimi & Cla-  
rissimi Kiri  
**KRISTIANI CARPZOVII**  
PROFESS. PUBL. ET p.t.  
Facultatis Juridicæ DECANI  
SPECTATISSIMI,  
placidæ disquisitioni publicè  
proponit  
**KSTOPHORUS STAUDE**  
Gorlicensis Lusatus  
Id d. 16. Julij, horis matutinis,  
In  
Auditorio JCtorum.  
Exsum typis MICHAELIS KOCHI  
Anno 1636.

1636, 1

8

f. D. Joh. Krigio

